

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

et dic: fiat lux tua, et fiet in anima mea lux, qua cognoscam te, et illustratus te toto corde diligam. O Deus effice, obsecro, ut spiritus meus frigidus, ac torpens totus incalescat. suscipe et posside me totum, o dulce solatium anime mee.

Caput XXXVII
Aspirationes ad Deum ob
ejus opulentiam

i Domine Deus, dixisti: mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae; melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso. In viis justitiae ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. O altitudo divitiarum Dei, quis eam comprehendere potest, quis eam enarrare sufficit? O divitiae! o opes, quae exsuperatis omnem sensum, quis det mihi, ut dignè promam, quod de vobis sentio. Domine Deus meus tecum sunt divitiae, gloria, et opes, nempe tecum sunt summa, imensa, et infinita bona, cum enim sis immensus, et infinitus, necesse est, ut et ea, quae sunt in te, sint sine numero, et mensura. Deus meus cur non iam accedo ad te, cum in te sint recondita omnia, quae explere possunt vota mea! O dives omnium bonarum dorum supernae satietatis opulen-

prov. 4.

S. Aug.

tissime largitor Deus! cur te non semper quero? cur
 te non semper desidero? O Deus, Deus meus! gemitus me-
us a te non est absconditus: sicut desiderat cervus ad ps. 37
fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te Deus. ps. 41.

Melior est utiq; o amantissime Deus, fructus tuus
 auro et lapide pretioso, fructus enim tuus merces tua
 est, et hac prorsus immensa, dicente tes merces tua gen. 16.
ero magna nimis. Domine Deus, qui ipsemet es merces
 Sanctorum tuorum, quosq; incestimabilibus bonis et divi-
 tiis beare soles, sim totus tuus, et tu totus meus. Possideam
 te, et possidebo omnia; quidquid enim pretiosum, quid-
 quid opulentum, quidquid desiderabile ulla ratione ex-
 cogitari potest, id omne in te super omnem modum
 reperitur. O quantis igitur abundo divitiis, quantis
 affluo bonis, cum Deus meus qui mihi magis est ego Blos in.
quam ipse sim, tam immensa bona possideat. Lucello.

Ah amo te, o dulcissime Deus; amo te o desidera-
 tissime Sponsa anima mea; amo te amore magno
 magisq; amare cupio.

In viis justitiae ambulas, Domine Deus, ut dites di-
 ligentes te, et thesauros eorum repleas. Igitur o ani-
 ma mea, si veras cupis divitias, accede ad Deum,
 ambula cum eo in viis justitiae, id est, charitatis

S. Aug. l. 8.
nat. et grat. c. 42.

Sap. 9.

ps. 36

ps. 83

justitia enim charitas est, Dilige itaq; eum, in quo
sunt omnes divitiae, gloria, et opes, et ipse comunicabit
tecum de bonis suis, ac thesauros cordis tui replebit;
dicit enim Propheta: delectare in Domino, et dabit
tibi petitiones cordis tui: non unam sed omnes prore-
sus petitiones dabit, universas implebit; vult enim di-
tare te, et thesauros tuos replere, imo plus vult dare
quam possis petere aut cogitare, quia et se ipsum
summum, immensum, infinitum bonum vult dare.
Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in
te: beatus homo, qui diligit te: beatus homo, cujus
anima adhasit post te.

Caput XXXVIII

Aspirationes ad Deum tan- quam creatorem.

i Lumen vultus tui Domine, quod signatum est
super nos, ostendit mihi, quod progressus in infini-
tum esse nequeat, sed sit admittenda una prima
causa, a qua caeterae dependeant; si enim prima
causa non existeret, nec secunda foret, si secunda
non foret, nec tertia esset, si tertia non esset, nec
quarta unquam producta fuisset, et sic de caeteris